ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Nobilissime praestantissimeque Hugeni,
rarius soleo te interpellare amicorum causa.
At iam cogor hoc ex officio facere. Juvenis
hic aeri insculpsit effigiem Ill. Principis,
quam recte ac artificiose tu me melius
judicabis, qui in omni scibili (ita Lova=
nienses loquuntur) es versatus. Ego, ut
vendibilis magis esset merx, disticha quaedam
autoris rogatu subscripsi, an digna Principe
nescio. Hoc iam agitur, uti tua intercessio[n]e
efficias, quo praemiolo aliquo aut
honorario Artificis laborem solvat humanissi=
mus Princeps. Scis quae istiusmodi meritis
debeantur praemia. Verum mea causa
velim aliquid adjici praeter mercedem & aulae
vestrae commendationem. Ego Juvenis huius
parentibus Leidae per biennium cohabitavi.
Hinc imposita mihi necessitas, et carmine
cohonestandi hoc opus, et tibique & autorem
& opus de meliore nota commendandi.

Vale Vir praestantissime, cum uxore
et IIII-viris tuis. Amstelod. XVIII. April. 1634.

N. T.
observantissimus
C. Barlaeus

Adscripsi Epigramma in
caedem Ducis Fridlandici

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/899

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/899

In cædem Ducis
Fridlandiæ.

Maxime Fridlandi, quis te casusve deusve
Abstulit, et voluit sic periisse ducem?
Cuius Hyperboreis dudum solertia castris
Restitit, et Suecorum vim remorata fuit.
Si malesana tibi obrepsit malefidaq. sceptri
Ambitio, aut fœdæ proditionis amor,
Insequitur te pœna reum. sin Cæsar & aulæ
Sæva fides nimium suspiciosa fuit;
Hoc cavisse tuum fuerat. peccasse putaris,
Cum, fastidito Cæsare, bella geris.
De te sæva novum statuit Fortuna triumphum,
Spesq. tuas vanas insidiosa facit.
Quas acies, quæ castra tibi, vexilla, phalanges
Crediderat, dominum deseruere suum.
Irruit in iugulum audacis manus empta Photini,
Atq. alia fraudes prævenit arte tuas.
Militet Austriacis, quisquis Seianus haberi,
Et titulo ~~gaudet~~ cupiet splendidiore coli.
Militet Austriacis, quisquis Seianus haberi,
Et titulo cupiet deteriore mori.

CB.

Aen mijn Heer
Mijn Heer Constantinus
Huygens Ridder, Heer
van Zuylichem, Secretaris
van sijn Vorstelycke Ex:tie,
woonende in de Houtstraet

Door vrindt,

Bazel

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 71
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/899